DISPUTATIO MEDICA
DE
DYSENTERIA

Quam

DEO Volente

PRÆSIDE

CAROLO PHILIPPO LOMBARDIO

MEDICINÆ DOCTORE EXCELLENTISSIMO NEC NON EXPERIENTISSIMO.

Publico φιλιάτρων examini exponet

AUTHOR

PETRUS BERNARD,
ARNETENSIS GALLO-BURGUNDUS.

Ad diem 29. Junii.

HERBORNÆ,

TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ. AN. 1689.

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

HENRICO

PRINCIPI NASSOVIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI, VIANDÆ, DECIÆ, DOMINO BEILSTEINII, &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime Princeps

QUod ἀδιαφόρως dicitur de illis, qui, de aliis benè merendo, ſunt ἄνθρωποι τοῖς ἀνθρώποις θεοὶ, id rectius de *Celſitudine veſtra* dixero, quæ ſubditis non modo præſidio, verum etiam innumeris fermé aliis fuit ſolatio, ſeque ad *Majorum* ſuorum imitationem, verè ſemper *Principem* præſtitit.

Felix ergo Regio quæ ipſam, *Dominum ſuum* colit, me feliciſſimum etiam exiſtimo, qui nunc in hac veſtra Academia, tanquam in altera Patria vivo: Quarè debita mea obſervantia vult, ut hoc ſpecimen Academicum coram pedibus *Celſitudinis veſtræ* deponam, cum omnigena bonorum apprecatione, floreat *Naſſovica Domus*, vigeat, & æterna felicitate fruatur: *Celſitudini veſtræ*, Deus, non alios, niſi poſt Neſtoris annos, det Succeſſores, quo in hac veſtra terra habitet pax & Juſtitia, ſic adprecatur

Celſitudinis Suæ

Humillimus & Devotiſſimus
ſervus

Petrus Bernard.

B. C. D.

THESIS I.

MOrbum, quem explicandum ſuſcepi, vocatur *Dyſenteria*, quod vocabulum cum non ſit notio communis, neceſſe erit, ut quid per illud intelligatur hic præmittam. Componitur autem ex particula, δυσ, id eſt, difficile ἔντερον inteſtinum, & ῥέω fluo, quaſi dicas difficilem & moleſtum inteſtinorum fluxum, Germanis vocatur **die rothe Ruhr**/ Gallis le flux de Pang. Etſi quibusdam, ad varios, ut hæmorroidum, Menſium, aliosque referatur fluxus, interdumque pro Diarrhæa ſumatur; apud me tamen ſtatui, Dyſenteriam κατ᾽ ἐξοχὴν, ſic dictam, explicare, & cum ulterius progreſſurus ſim, in limine non hærebo, rem itaque ante omnia ſic definio, quod ſit frequens variorum humorum & quidem cruentorum, ex inteſtinis per aluum dejectio, quam febris, dolor ventris, ſitis, vigiliæ, cibi faſtidium & interdum vomitus comitantur.

TH. II.

Ex definitione patet, inteſtina affici, quæ conſtant ex variis tunicis, imprimis glandulosa, cujus acuratiorem cognitionem sîs vid. Celeberr. *Peieri* parerga Anatomica; nervis, venis, & arteriis: quæ omnia ad majorem affectus hujus explicationem, cauſarum evo-

lutionem, ac morbi curationem, ſcitu neceſſaria, requiruntur.

TH. III.

Specierum Morborum eſſentiales differentias dari, merito dubitatur, quippe ſpecies morborũ gradu tantum inter ſe differunt, & atributum quod uni convenit, aliis etiam erit proprium: accidentales autem petuntur vel à parte affecta, cum e. g. inteſtina tenuia vel craſſa afficiuntur, vel à tempore invaſionis, datur enim Dyſenteria, quæ eſt morborum ſuccedanea, ut morbillorum, variolarum, peſtis, febris malignæ, illa vocatur *critica*, imprimis dum fit cum ægri emolumento: datur etiam *ſymptomatica*, quæ nullo præexiſtente morbo invadit, ſed quæ demum oritur. Alia eſt *epidemica*, quæ plures invadit regiones, & *maligna* dicitur, alia vero *benigna* & non tot ſtipata ſymptomatibus, ſed quid moror, ad alia properandum.

TH. IV.

Quamvis cauſæ morbificæ ſibi invicem adeo arctè conjunctæ ſint, ut una absque aliarum auxilio effectum ſortiri nequeat, nihilominus eas hic diſtinctè tradere conabor. *Cauſa* itaque *proxima & immediata* eſt exulceratio inteſtinorum, verum quis hic objicere poſſet ulcus non eſſe cauſam, ſed tantum productum morboſum, res facilè conciliabitur, ſi animadvertamus ulcus poſſe eſſe productum, & cauſam, diverſo reſpectu, eſt productum reſpectivè ad cauſam antecedentem, rationem vero cauſæ obtinet ſi excretionem conſideremus.

TH.

TH. V.

Cauſa antecedens quæ interna dicitur, eſt intemperies ſanguinis, ea autem eſt varia iuxta prædominium alicuius qualitatis,iam dudum docuit Hypocrates ſanguini noſtro ſexcenta ineſſe partes ⊖ſas, amaras, dulces, ▽ſas,acidas,aliasque, quamdiu omnes hæ particulæ ſub exacto mixtionis vinculo detinentur,tamdiu omnia pro re nata exiſtunt, quod ſi vero particulæ aliæ præ aliis caput extollant, harmoniceque ſe non habeant, oritur intemperies vel acida vel acris, iuxta prædominium particularum, accuſamus hic in noſtro affectu ſanguinis intemperiem acrem, acidam; res adhuc clarior fiet, ſi conſideremus colluviem variorum humorum in primis viis,qui temporis tractu acres facti, & poſtmodum per arterias ad extremitates glandularum delati,ibidemque delituêre, donec facti fuerint ſui iuris, bilem & ſuccum pancreaticum ſuum ἐπίβαλλον μέρος addidiſſe, deſtitutos ſale ſuo volatili °°ſo facile acrimoniam contraxiſſe, eodemque charactere infeciſſe chylum,qui poſtmodum ad inteſtina ruens,ibi corroſiones excitavit.

TH. VI.

Cauſam antecedentem introducit *procathartica*, peregrinus nempè æther,ſanguini confuſus ejus mixtionem turbat,motu ſanguinis progreſſivo in tantum impedito, inteſtinus augetur, humores fermentare incipiunt,ſalia illa acria antea quaſi obdormitantia,ſui juris facta,ſua ludunt in ſanguine tramata,ſpiculis ſuis rodunt inteſtina, peregrinus autem ille æther interdum ſolus, interdum cum cibis & fructibus facilè fermentescibilibus

bus hauritur: non ſemel in patria vidi quod vindemiatores ex nimio potu muſti atque uvarum deglutitione Dyſenteria corriperentur, hoc fit, præſertim aëre ſqualido, tanta fit enim in venis & arteriis efferveſcentia, ut in extremitatibus non raro rumpantur, quod ſæpius etiam experiuntur viatores, qui narium hæmorragia laborant ob rationem antea datam.

TH. VII.

Quibus præmiſſis patet, quam à ſcopo longè aberrarint Veteres, dum in explicandis morborum Cauſis confugerunt ad ſpiritum inſitum irritatum, & facultatem expultricem & retentricem, neſcio quam, læſam eſſe aſſerunt; quibus, ut loquitur *Celeberrimus Svicerus*, quamvis in alia materia, *ſpirituale cum corporeo confundentes, obſcuros ſuos conceptus inepto nomine produnt*. Non minus obſcurè loquuntur, qui viſcerum intemperiem accuſant, quid enim aliud viſcera præter ſpatium, uti olla, conferunt; omne ergo vitium quod accidit viſceribus, non eſt à partibus ſolidis, ſed à fluidis.

TH. VIII.

Multum ad hunc morbum producendum faciunt *ſex res non naturales* vulgo dictæ, de ſingulis quid notemus, primo ſe offert aër, qui ſi in motu & mixtione non ſit temperatus, ſed impregnatus ſalibus varii generis, acribus, aliisque, febres, tumores, exulcerationes, aliaq; mala producet; Illud à poſteriori facilè probabitur, experimur enim ſæpiſſimè labiorum exulcerationem, quæ à nulla alia oritur cauſa, quam à tali ⊖le, naturam aquæ fortis æmulante, proximum ab aëre ſibi vendicat locum cibus & potus ex quorum vitio duæ oriuntur famoſæ

moæ ſcruditates, ex his, hæc ſunt verba celeberrimi atque experientiſſimi Dni, Waldſchmid, præceptoris mei ad aras colendi. Vide sîs inſtitut. medic. cap. VII. Libri: *tanquam è fonte ſcaturiunt varii generis febres, flatus, intumeſcentiæ, obſtructiones, ſanguinis cacochymiæ, ejus mixtionis turbatio, ſucci nutritii depravatio, ſcabies, Diarrhea, Dyſenteriæ &c. potus noxam infert dum frigidus æſtuantibus viſceribus affunditur, ubi idem in viſceribus fit quod ferro ignito frigidæ immerſo contingere ſolet, hoc eſt inflammatoria obſtructio producitur, & æther maximè antea agitatus, nunc ſuperveniente obſtructione, omnia in vicinia turbat, & in tumultus ciet.*

TH. IX.

Per *nimium ſomnum atque vitam ſedentariam*, ſanguinis ventilatio atque inſenſibilis tranſpiratio impeditur, unde partes heterogeneæ quæ alias per inſenſibilem tranſpirationem evocari ſolent, M. S. immixtæ manent, unde obſtructiones, & exinde ſanguis non parum inficitur; ex quo poſtmodum oritur intemperies acris. Dum *motus & vigiliæ* limites excedunt depauperantur ſpiritus, partes ſpirituoſiores per cutis poros quâ datâ portâ avolant, remanentibus ſolis craſſioribus ad motum minus aptis; dum, quod excerni debebat, retinetur, & vice verſa quod retineri debuiſſet, excernitur, malum eſt: plus tamen eſt periculi in excernendorum retentione, quam in retinendorum retentione, *animi pathemata* dum excedunt varias fluidis inferre alterationes, & in hoc affectu producendo multum habere efficaciæ, nemo inficias ibit, non opus eſt ergo ut de illis prolixius agam, cum ipſorum operandi & affligendi modus jam in vulgus notus ſit.

TH. X.

Perluſtratis hujus affectus Cauſis, in conſpectum venit agmen ſymptomatum, ad *ſigna diagnoſtica* igitur progredior; etſi ex definitione morbi jam innotuerint, hic latius ea tradam, phænomena, quæ in hoc effectu occurrunt, explicaturus. Verum videor audire quosdam ſuſurrantes illam doctrinam de ſignis carere fundamento, partemque ſemioticam eſſe merè conjecturalem: Ultro concedam, Medicum non poſſe, certitudine, uti dicitur, Metaphyſica, morborum eventum prædicere, eorundemque exitum definire, ſufficit tamen rem ita poſſe fieri ut concipitur, quod ſi aliter contingat, id dico fieri per accidens, qui enim œconomiam animalem, naturamque fluidorum perſpectam benè ſibi reddidit, nonne poterit inſtantis tempeſtatis indicia dare, nec non prædicere quomodo terminabitur morbus.

TH. XI.

Humores excreti, jam examinandi veniunt, cujus illi ſint indolis, lympha, quæ è glandulis inteſtinalibus extillat in cavitatem inteſtinorum, cum muco, parietibus ipſorum, adhærente, excernuntur; an autem talis mucus detur non amplius dubito qui rem ſæpius vidi cum *Celeberrimus vir Dominus Dorſtenius* Anatomicas diſſectiones inſtitueret: Huic lymphæ, immixtæ ſunt partes ſanguineæ, ut & fruſtula inteſtinorum, frequens eſt excretio, quippe illud ſal acre de quo ſupra dictum, tunicas inteſtinales, ita vellicat, ut fibris inflatis atque conſtrictis, neceſſe ſit, ut ſi quæ ſint quæ excerni debeant, excernantur, adſitque ejerendi deſiderium, quod Teneſmus dicitur.

TH.

TH. XII.

Phænomenon mihi obverſatur, febris nimirum, cujus, ratio formalis conſiſtit in turbata ſanguinis mixtione, ea autem turbatur vel à particulis heterogeneis cum peregrino æthere intromiſſis, vel à fermento quodam, in cavitate aliqua antea latitante, excuſſo, vel ob continuam preſſionem quæ fit In inteſtinis, dolor adeſt ventris quem producit continui ſolutio, partes quæ afficiuntur, ſunt inteſtina, nunc craſſa, eorumque tunica, quæ eſt membranacea quæ valde eſt ſenſilis, quid aliud membrana quam expanſio nervea, ex motu illo inſolito, mens idæam doloris concipit, unde patet, dolorem non tam eſſe in parte affecta quam in ipſa mente, ac nihil aliud dicit dolor quam quendam cogitandi modum, dolorem à ſale acri fieri, id, confirmant purgantia, quibus aſſumptis alui tormina & aliquando dejectio cruenta, exſurgunt.

TH. XIII.

Dyſentericos vexat ſitis, quæ oritur aut à defectu particularum ▽ſarum in ſanguine, aut ab obſtructione glandularum ſalivalium; fieri enim poteſt ut ex turbata ſanguinis mixtione, partes quædam ▽tentur verſus glandulas easque ita obſtruant ut lympha quæ ad irrigandas partes vicinas deſtinata eſt, non ſecernatur, fauces ſunt arîdæ, flagrat dira ſitis, quâ febricitantes ſæpiſſimè laborant, quæque frequentioribus poculis, frigidis ſaltem, extingui nequit, unde Medicis utile erit, linguam, imprimis in morbis malignis, inſpicere.

TH. XIV.

Ad ſomnum, Dyſenteria correpti, diſponi nequeunt

unt, *noctes ſunt inſomnes*, vigilias oriri, ab acredine ſanguinis, veroſimile eſt, tales partes acres, mediantibus arteriis, ad caput vehuntur, ibidemque vellicant fibras nerveas, ſpirituum animalium æquilibrium tollunt, ſicque ſummo cum impetu, in cerebri parietes impingunt.

TH. XV.

Agmen claudit, cibi faſtidium, cujus Cauſa erit, quod parum lymphæ è glandulis ſtomachalibus extillet, vel quod fermentum ſit nimis viſcidum & craſſum, vel quod partes ſpirituoſæ, aptæ ad digerendos cibos, ſint exhauſtæ, in cauſa etiam eſſe poteſt, quod motus qui oritur ex vellicatione fibrarum nervearum ventriculi, & demum ad cerebrum defertur, ſit minus efficax, quam ille, quem dolor excitat, mens ſic nimis intenta huic motui inſolito, aliis, non tam facilè auſcultat.

TH. XVI.

Quod Prognoſin attinet, Medicus, priusquam media quærat, debet eſſe certus de fine; nunc igitur quid ſpei ſit de iis qui dyſenteria corripiuntur, ſcire neceſſe eſt, ubi attendere oportet ad morbi naturam, & ægrotantis vires: periculoſus certe eſt hic affectus, præſertim cum inteſtina profundè ſunt exulcerata, vix enim poſſunt conſolidari, propter perpetuum, humorum, in partem affectam, affluxum, imprimis ſi & inteſtina tenuia ſint affecta. Quod ſi vigiliæ ſint continuæ atque excretorum fœtor graviſſimus, appetitus proſtratio, & ſingultus, peſſimum eſt. *In Dyſenteria, ſemper exitium prædicit linguæ tumor, cum difficultate deglutiendi, Hypocrat. agmen claudit facies Hypocratica dicta ut. Naſus acutus, oculi cavi,*

tem-

tempora adſtricta , aures frigidæ . quod ſi æger , nec audiat, nec videat, in propinquo mors eſt. Verum enim vero, ſpes eſt ſalutis ubi vires ſunt conſtantes , ſymptomata mitigantur , vigiliæ ceſſant, dolor ſedatur, redit appetitus, ceſſat fluxus. Dyſenteria critica, modo diu non perſeveret minus eſt periculoſa , quam ſymptomatica, quæ ex vehementia & malignitate morbi oritur. *Senes & infantes, magis quam, in media ætate conſtituti, periclitantur. Hippocr.*

TH. XVII.

Curationem, dirigunt *indicationes*, quæ nihil aliud ſunt, quam agendorum inſinuationes, triplex autem eſt indicatio, *Curatoria, ſymptomatica, & præſervatoria*, curatoria, quæ & præcipua eſt, cauſam morbi reſpicit, totum curationis negotium in eo conſiſtit, ut ⊖lium acrimonia temperetur, obſtructio ubicunque latuerit tollatur , ac fibræ inteſtinales corroborentur , quænam vero ſint quæ intentioni huic ſatisfaciant, videndum eſt.

TH. XVIII.

Tot exſtant nunc medicamenta, ut in iis ſeligendis, non parva interdum oriatur difficultas. *Curationem* hujus morbi, per purgantia, inchoabant Veteres, quod modo etiam faciunt , qui eorum caſtra ſequuntur : Verum ne indicta cauſa damnentur , quæ pro & contra faciunt, hic eſt præmittendum , notum eſt purgantia, conſtare ⊖le acri , quod agit vellicando, irritando, ac pungendo, quo pacto, conveniunt cum cauſa morbi, inteſtina magis exulcerant , ſanguinem, in ſua mixtione turbant, ⊖lia, verſus partem læſam ⊽tant, & dolorem exacerbant , tantum abeſt ut cauſam morbi attingant,

 quin

quin potius ipſam augeant, quod ſi operari videantur, dum excreta per alvum foras eliminant, id faciunt, productum morboſum, minimè verò cauſam morbi, attingendo, cum igitur male audiant purgantia, imprimis qua talia, & in tantum è foro medico debeant proſcribi, eorum loco laxativa ſubſtituenda ſunt, quæ nimirum diluendo, ⊖lium, temperant acrimoniam, de obſtruunt, ac materiam peccantem, inteſtinis inhærentem, abſtergunt, quædam apponere, operæ pretium futurum, exiſtimo, commendantur hunc in finem, flores violarum, & roſarum, & infuſa ex his parata, potus Theæ, ℴℴ olivar. amygdalar. ex quibus, variæ formulæ conſtrui poſſunt.

℞. Syrup. roſar. laxat. ℥j.
mannæ ℥ß.
⊖ ☿ gr. x.
▽ fl. acatiæ q. ſ. m. f. potiuncula.

℞. Decoct. laxat. D. ſpinæ apud ſchröderum ℥j.
ſyrup. roſar. ſolut. ℥ß.
▽ cinamomi ad gratiam, M. pro eodem ſcopo.

TH. XIX.

Cenſuram, merentur qui ſua hic jactitant adſtringentia, talia enim non dantur in rerum natura, ſed incraſſantia, quæ ob terreſtreitatem ſuam obſtruunt, partes ▽ſas imbibunt, & humores coagulare faciunt, ſed illa ſanguinis circulationi plane repugnant: memini, me legiſſe caſum de Dyſenteria, ubi adſtringentia, ægro adhibita fuiſſe, cum ſucceſſu, videbantur, intus, bolus armena, cum decocto tormentillæ data, ſtetit fluxus, res erat bona, ſed non eſt victoria, ante triumphum, canenda,

præ-

præcluſa janua, per alium locum erupit hoſtis poſt paucos dies inexpertus malleolis dolor, rubor, tumor, hoc eſt tumor inflammatorius, cum ægri pernicie, ſubſequatur: Ideo ea præſcribuntur, quæ humores acres, & auſteros, inteſtinis adhærentes, temperant, eosque imbibunt.

℞. Cinam. acutiſſ.
macis ã gr. viij.
ſacch. ♃ gr. x.
m. f. p. pro 2. doſib.

℞. C. cerv. uſti ʒß.
corallor. præparator. ℈j.
cinnabar. nat. gr. 4, laudan. op. gr. 1. ſignetur ut antea.

Pulveres hi poterunt aſſumi, cum aliqua ▽, egregiè hic convenit pulvis ſtomachalis *Domini Præſidis* poteſt aſſumi cum juſculo, aut cereviſia calida. Adſtring. cautè ac in parva doſi ſunt propinanda, ne alvus ſubito ſupprimatur, & excrementa intus detineantur, quem in finem alias egregiè convenit decoctum Priapi cervi, cum ſyrupo quodam, ut de ſymphito Fernelii, extractum tormentillæ c. aliquot gr. laud. opiat. vel

℞. p. dyſſenterici Croll. ʒij.
bezoartic. ſennert. ℈ij.
M. d. ſ. p. adſtring.

℞. ▽ panis cum N. M. ℥iiij.
d. ſ. ▽ pro p.

Pro potu ordinario, ad fallendam ſitim, exiberi poſſunt decoctum panis acidulatum, c. ſucco citri vel ℞ corallor. vel decoctum C. C. Timæi, item emulſio

ſe-

ſequens, quæ ſimul vires reſtaurat, ac modicè adſtringit.

℞. Amygd. d. excortic. ℥j.
ſem. papav. err. ʒij.
▽ panis cum N. M. f. l. a. emulſio.
add. oſſ. d. corde cerv.
ſpec. d. hyacinth. ā ℈ij.
edulcoret: man. Chriſt, perlat: q. ſ.

TH. XX.

Accedo ad enemata, quæ egregia vi pollent, temperare humorum acrimoniam, inteſtina mundificare, eaque conſolidare, quem in finem, ſeq: commendatur,

℞. Lactis chalybeati ℔ß.
ſyrup. de roſis ſiccis ℥ß.
Vitelli ovi. m. f. enema.

TH. XXI.

Reſtat *diaphoreticorum* conſideratio, quæ certè legitimè adhibita, multum faciunt, ad curandam Dyſenteriam, obſtructiones, ubicunque latuerint, reſerant, & ſalia acria, è tubulis, & glandulis, foras eliminant, tanta eſt eorum efficacia, ut vix depredicari poſſit: ex relatione *Viri Experientiſſimi Dni, Doctoris* W*aldſchmied* habeo, quod multos ſolis diaphoreticis curaverit, in dyſenteria præſertim maligna, nullos vero ope adſtringentium, quod vero cæteris palmam præripit, eſt ♁ diaphoret. quod certè præſtat reliquis, ex regno vegetabili deſumptis, non enim tam facile, vires ſuas, in primis viis, deperdit, ſed intactis fermè viribus, abditiſſima, ut & remotiſſima, corporis penetrat loca. Quod ſi vero Dyſenteria,

teria, fuerit maligna, bezoartica ſtatim erunt danda, quæ ſunt lap. bezoard. occ. or. ſpec. de hyacintho: ♁ ſigillata, ♁ diaphoret. C. C. S. ▽, ex quibus variæ concinnari poſſunt formulæ.

Tempore nocturno, ubi dolores ingraveſcunt, propter majores fermentationes, anodynum aliquod juvabit e. g.

℞. ℴℴ N. M. expreſſ. gr. xii.
extr. opii gr. i.
ther. cæleſt. gr. iv. M. D. S. anodynum per 2. doſib.

Hæ ſufficiant formulæ, qui cognitionem habet medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, eorumque virtutes novit, pro re nata, poterit formulas componere, easque variare; quod autem ingredientium quantitatem concernit, formulæ majores, non ſunt meliores, ſiquidem, in illis varia adduntur, quæ ſe invicem nonnunquam deſtruunt, ex tot ſimplicibus commixtis, oritur tertium aliquod, cujus revera ſæpe virtutem ignorant, incompatibilia, ſi ita loqui liceat, miſcent.

Externè.

℞. Unguent. Comitiſſ. ℥ß.
♁ ⊖l. dulcif.
croc. ♂ adſtring.
bol. armen. ā ℥ß.
ℴℴ nucis moſchat. expreſſ. M. f. linimentum.

TH. XXI.

Non parum, ad hujus morbi curationem, ut & præſervationem, conferet exacta diæta, ea autem conſiſtit in ſex rerum non-naturalium legitima adminiſtratione, quod primo *aërem* concernit, vitetur aër impraegnatus 🜍bus acribus, malignis, contagioſis, quod ſi id obtineri nequeat, arte debet corrigi, legatur hac de re conſilium diæteticon rationale pro hæmoptoico, quod loco diſputationis ſub præſidio Celeberrimi Viri Dni, *Waldſchmiedt* defendi. *Cibi* ſint εὔχυμοι, καὶ εὔπεπτοι, pro potu, juſcula parari poſſunt avenacea, vel ex hordeo, acidulata cum ſucco cydoniorum citri, vinum rubrum, languentibus imprimis viribus, ℞ roſar. emulſio amygd. decoct. Priapi cerv. vel ceti commendantur, abſint vigiliæ immodicæ, ſomnus, & quies concedantur, nam quod caret alterna requie, durabile non eſt. Hæc ſunt B. L. quæ meditati ſumus, D. T. O. M. gratias agimus, qui conatibus noſtris favere, & ſuâ gratiâ, nobis adeſſe, voluerit, cui, ſit Laus, Honor, & Gloria, in æternum.

Corollaria.

1. In Dyſenteria , nihil indicat V. S. præter dolorem , præſtat tamen ut ab ea abſtineamus.

2. Morborum cauſas, viſciditatem, & acrimoniam ſtatuo.

3. ▽ non datur ſapida.

4. Inſipida ſunt ſana.

5. °°ſa in calculo, omnibus aliis medicamentis ſunt præferenda.

6. Inter Empiricos, referimus illos, qui absque ſanioris philoſophiæ principiis , & ſine ratione medicamina exibent.

7. Hæmoptoicis conveniunt ſudores, ſed non ſudorifera.

8. Nihil eſt, juxta Philoſophum quod æquabilius diſpenſatum ſit hominibus , quam anima.

9. In febribus augetur motus inteſtinus, progreſſivus vero imminuitur.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DN. BERNARD,
AUTHORI AC RESPONDENTI DIGNISSIMO.
S. P. D.

QVamvis plures ſint qui ſtudium Medicum affectent: res tamen quod ipſis non æque feliciter cedat, eſt, quod poſthabitis fundamentis Medicinæ immature ad praxin Medicam accelerent, quæ poſtmodum aliorum Medicorum innititur experimentis, ac propriis inventis rationibus, quas aliis obtrudunt nec tamen fundatæ ſunt in veræ Philoſophiæ ac Medicinæ ratiociniis ac fundamentis, quibus vero feliciter jactis, Medicina ſine ullo vacillationis & ſubſecuturæ ruinæ metu exſtruitur & quotidie novis exornatur experimentis. Quibus rite perpenſis Nobiliſſime Dn. Reſpondens, *non mirum eſt, quare feliciores præ aliis feceris progreſſus in ſtudio Medico, quos eruditè hac* Tuâ *conſcripta diſputatione comprobas, patet jam fama Tua Orbi Literato, quam adauge, ut per Te Reſpublica Medica non minus incrementum capiat; quibus Vale!*

PRÆSES.

Morbos, præter lens parVos, qVIa peLLere tantos
BernarD eXoptas: *gratVLor VsqVe tIbI.*

L. M. Q.

Abrah. Teſchemacher, Med. Stud.
Elverveldâ-Montan.

F I N I S.